



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Aliæ zelotypiæ caussæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Prov. 24.9.

bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est, & impius. Sed & ille non sapit, qui, quotquot domum suam frequentant, fures esse arbitratur: stultorumque est, putare, omnes homines esse baculi sui insidiatores. Hæc cogitatio stulti peccatum est. Ita Iustina nobilissima Romana puella ac virgo, ætatis suæ formosâs omnes elegantia vultus supergressa, cum locupleti quidem, sed stolido, & furenti viro in matrimonium esset tradita; de excellenti illa specie in suspensionem marito venit. Is enim candidissimam vxoris ceruicem conspicatus, inclinantis se ad calceum exuendum, furore ex Zelotypia correptus, teneram puellam & nouam coniugem obruncauit: quod ipse pati merebatur, nisi truncus antè fuisset. Appositè proinde de epitaphio illius subscriptum est:

*Discite ab exemplo Iustina, discite patres;*

*Ne nubat fatuo filia vestra viro.*

IX.

4. Arripit Zelotypia illos non rarò, qui, quod ipsi faciunt, de alijs quoque libenter suspicantur. Talis erat castissimus ille Catullus, qui Gellium vt riualem suam malignè aspiciebat, quòd is à Lesbia pulcher dictus esset: quia & ipse, quas pulchras nominabat, amabat. Hinc maceratus ita alloquebatur semet ipsum.

*Gellius est pulcher. quid ni? quem Lesbia malit,*

*Quam te, cum tota gente, Catulle, tua.*

Neque noua est hæc suspicandi causa. Nam & apud alium Poëtam.

*Esse metus cepit. facies, etasq; iubebant,*

*Crederè adulterium. prohibebant credere mores.*

Ouid. lib. 7.  
Metam.

5. Galenus feminas tradit huic vicio maximè obnoxias, præsertim prægnantes, ægritudine quadam: & cuncta timemus amantes. 6. Etiam iuuenes, & ferè adhuc pueri in matrimonio collocati, faciles sunt ad suspicandum, & proni ad querelas. Non rarò ita æstuant, vt mori malint, si speratâ non potiantur. Ita C. Vibius adolescens intemperato amore percitus Putillia Sex. Paella gratissima, quòd alteri viro tradita, non sustinens, cruento gladio sibi met mortem conscivit. 7. Extra dubium est, Zelotypiæ procuratorem esse commuam humani generis inimicum.

eum. Qui si, inter coniuges, dissidiam fecit, vicit. Dissidij autem præcipua est causa suspicio fidei violata. 8. Denique & Deus, in pœnam, sæpe permittit, vt coniuges sentiant tribulationes carnis, inter quas non minima est Zelotypia, quæ cum sola cruciet, tamen multa secum trahit alia mala.

Poëta sanè fingunt, Circem veneficam, eum ægrè ferret Scyllam nympham à Glauco amari, fontem, in quo se illa lauabat, veneno infecisse, cuius virtute Scylla fit in monstrum marinū commutata. Quot viri faminæq; veneno pereunt, aut etiam ferro, ob criminis huius suspicionem? Quot, dum suspicionem tracti, curiosè in comparem inquirunt, morte luunt suam curiositatem? Cyanippum Thessalum vxor Leuconoa Zelotypa suspectum habebat, quasi in siluis aliud, quàm feras venaretur. Exijt, inter fruteta se abscondit; latentem, in venatione, canes inuenerunt, & tanquam in feram irruentes frustatim lacerauerunt. Ite curiosæ, state ad ianuas & fenestras, arbitramini maritorum colloquia; obseruate mutus; quid consequemini? Si canes vobis pepercerint, linguæ hominum lacerabunt. Suspectas enim & ipsas esse oportere dicent, quæ omnia suspicantur. Qualis enim quisque est, talem ferè & alterum censet esse. Bella est & alia fabula Cephali, inter venandum, Auram in refrigerium vocantis, quam cum vxor eius Procris Nympham esse arbitraretur, in virgultis se recondidit, contemplatura, cuiusnam virginis cupiditate Cephalus flagraret. Motis autem hinc inde virgultis maritus in his feram latere putans, emissio iaculo, coniugem inscius peremit. Tanti stetit diffidentia curiositas. Verùm hæc licet suspicio vxoruna æruerit, tamen illis, maritis non volentibus, conuegerunt. Multi suspicione præcipites, atque ira feroces in iniuriosas vindictas excanduerunt; & quidem magni, quos par erat, nihil gtaue, sine consilio, statuere; cuius rei supra in Ludouico Seuero exemplum deduximus, hîc autem aliud ex Imperatoria aula subiungemus.

*Cum, in florentissimo statu pietatis & pacis Augusti Theodosii Eudocia & Pulcheria, cum sororibus, Constantinopoli, versarentur, orbe terrarum tam iniustati exempli spectaculo percusso stupen-*

*reg*

X.

Ouid. lib. 7,  
Metam.

XI.

Matth. Ra-  
der. in aula  
S. Theodosij